



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XXXIX. Isis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A hieroglyphicum. nam eo Theologi nostri trahunt Salomonis præceptum, *Bibe aqua de vasis tuis & puteus pro de puteorum fontibus.* Jam Bersabeæ nomen *Septimus puius* interpretatur, quæ septima fuerit Davidis uxor. Propter aquas educatum se Davides plurimum gloriatur, sed perspicuas, vivas, dulces, & placide prolabentes aquas, quæ nobis quoque sunt idemidem adeundæ, si modo illos adæamus puteos, in quos Palæstini terram non ingresserint, in quos scilicet, ut hoc obiter interpretemur, invida, ac periniqua Hæreticorum factio suæ turpitudinis cœnum non admiscuerunt: quicumque enim suam uberrimis hinc limpidissimisq; undis sitim expleverit, aut cœlestem exceperit rorem, fontes melle fluentes hauserit, nubium harum imbrem collegerit, inq; auctoris iisdem imbribus fluvios demersus lavet & volutetur: æstuosos is cupiditatum ardores extinguet, membris morbos, qui sensum obstupesciunt, expellet, animiq; podogram, bonorum quippe operum impedimentum, elidet, omniq; demum labe perpurgatus, nulla corporis fæce fordibus, situ obfusus nullo, nulla denique labe contaminatus, ipsam æthereæ puritatis claritatem induet, & superis par effectus, immortalitatis etiam conditionem divini decreto liberalitatis assequetur.

JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM
LIBER XXXIX.

DE IIS, QUÆ PER ISIDEM, ET JUGERIS
QUADRAM, ET PICTURAS ALIQUOT
alias significantur,

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD M. ANT. PASSEREM, PATAVINUM
PHILOSOPHUM PROBATISS.

Nolim putes, eruditissime M. Antoni, dedicationem hanc meam de Iside, deque iis, qua similitudine quadam ad Isidis argumentum in comitatum sese adjunxere, ideo tibi factam, ut sperarem te aliqua hinc obligatione mihi devincere: cum mihi potius persuaserim, multum me acquisitum, tibiq; plurimum debitum, si commentationes has meas, qualescunque sint, suscipere, dignatus fueris. Nam quid ego vel meditari, vel continua lectione consequi unquam potuerim, quod eruditionis cuiusquam nomine venditari mereatur tibi, cui totus sit calathus ille domi, unde omnia possis largissime depromere? Non enim te solis Medicina Philosophiq; terminis cohibuisti, sed longe ulterius progressiva, variarum insuper rerum minime protritarum doctrinam ita tibi comparasti, ut te quacunque re proposita, & erudite loquaris, & eruditionem ipsam mira sermonis jucunditate noveris convesciscere. Quin Poetas, Historicos, Polyhistorasque omnes ita familiares effecisti, ut nihil tota in encyclopædia sit, quod te lateat, quod non in promptu habeas, proque loco & tempore utaris quam felicissime. Quare nihil, aut parum legendis nostris profecturus es, nisi quantum amici virtutibus tuis deditissimi nugas amas, & qui amant, Ovidianum illud objicere solent:

In facie navus causa decoris erat.

Sit utcumque, non debui ego, quantumcumq; prestare potui, quin ad te mitterem hastare, aut propemodum expavescere, qui scirem quantum inde lucri facturus essem, qui rem quidem imbecillam admodum & infirmam offerrem: sed que apud tam peritum, tam prudentem, tam probum, eundemq; humanissimum amicum ita accipi possit, ut vigorem firmasq; vires sit consecutum.

DE ISIDE. CAP. I.

Isis dea quæ fuerit, quantoq; cultu à veteribus veræ pietatis nesciis, sed rerum humanarum peritissimis, suscepta, quod superstitionibus celebrata jam omnibus innotuit: quare nos circa hieroglyphica ejus tantum immorabimur.

QUADRIENNIIUM. CAP. II.

Isidū varia significata.
Hinc Suidas ait, σείμων ἢ κούνα, ἔτι δὲ καὶ τὸν ἥλιον, Sirium canem, & qui dicitur solm.
Apud nos circa 8. Kal. Julias.

PER ejus effigiem inter alia significata Ægyptii annum suum, qui scilicet quatuor annis solaribus constabat, indicabant. Erat vero muliebre simulacrum patrio paludamento vestitum, ut paulo post dicitur, quod & anni & ipsius Dei signum habebatur. Isis in cælestibus astrum est, Sothis Ægyptiaca lingua nuncupatum, ἄστρον Græca, quasi Astrocanem dicas corruptam eam dicitur multis in locis invenimus. Is idem apud nos Sirius est, eademq; Canicula, quæ stella sub mento Canis est, ut Aratus observavit, quamvis alibi ex Eusebii observatione diximus, Solem & Sirium eundem accipi. Simpliciter vero stellam hanc in Isidis honorem Ægyptii colebant: quod ortu suo ingentes apud ipsos pluvias concitare solet, quibus Nilus crescat, unde sibi victui necessaria comparabant, qualem honorem & Leoni habitam eadem de causa, ipso Leonis commentario declaravimus. Cur vero annum ex hieroglyphico hujusmodi intelligerent, causa est, quod Ægyptii annum ab istius sideris ortu auspicabantur. Oriri vero in Ægypto solitus XII. circiter Calend. Augusti. Sed hoc de vertente, de proprio inferius.

LUNA. CAP. III.

Plutarchus vero & Eusebius, qui veluti Solem Osirim, ita Isiden Lunam ex Ægyptiorum dictis esse contendunt, eam hoc hieroglyphico describunt, ut cornua taurina, veluti novæ Lunæ speciem gestet, nigraq; amicta palla, per latebras & obscura loca Solem appetere, atq; unum ipsum concupiscere videatur. Unde factum est, ait Plutarchus, ut in amatoris, quemadmodum apud Theocritum est, Lunam invocarent. Eudoxus enim Isin rebus amatoris opitulari dicit. Hinc apud Ovidium, in Arte amandi, legas:

Multas illa facit quod fuit, & sa Jovis.

Adjutrix amatorum Luna.
An. lib. 6.

Porro Luna cum sit noctis domina, noxq; voluptatis illecebris & Veneri sacra, quæ ut alibi dictum latebris & spelæis gaudet, hieroglyphice plurimum cum iis, quæ Veneri attribuantur, congruit. Amatores enim apud Maronem,

*Secreti celant callet, & myrtea circum
Sylva tegit.*

Hinc legas apud Eusebium, voluptates, atq; eas, quæ forte omnium maxime censeantur, si aspexerimus, aut quod risu dignum, aut visu turpissimum est, advertimus, quocirca vel erubescimus, vel occultare properamus. Id autem impendio cavemus, ut hæc omnia nocti concedamus. Celari enim ut elegans Poeta dixit, vult sua furta Venus.

Hinc Ovid. l. 2. de Arte, Urque viro furtiva Venus sit græva puella.

MATERIA FORMAQUE. CAP. IV.

Cum vero Isis materiam etiam mystice significet, Sol vero formam, vel agentem vim, Lunæq; Solem ita suum observet, ejusq; semper radios excipere querat, quibus illustretur, videor Platonis illud intueri desponsa, quæ veluti prostituta sponsum expectat avidissima, unde rerum species, atq; novatus concipiat, & loco reddat: uti Luna lumen acceptum mutuo, quo potest studio restituit. Atque hæc ita obscura hieroglyphicum est materia, quæ nullam adhuc formam susceperit. Figura autem variatio in Lunari globo materiam aperte satis commonstrat, quæ veluti cera mollis, nunc hanc, nunc illam impressionem ex quocunq; sigillo suscipere apta sit. Hinc tania varix multicolorsq; Isidi dicata, non septem tantum eas Lunæ facies, quas Græci Φάσεις dicunt, ab Heliodoro ita nuncupatas, σύνθετον μέγαν, ἀνατολήν, μηνῶν, διχότομον, ἀμφίκυρτον καὶ πανσέληνον, sed etiam vim ejus, quæ circa materiam versatur, indicant: quæ scilicet gignit omnia, & omnia concipit, lucem quippe, tenebras, diem, noctem, vitam mortem, principium, finem. Quis enim assiduam in Lunari facie varietatem non admiretur, dum eam nunc evanescentem, ut Heliodori sententiam inter-

Septem Lunæ facies, carum que nomina.

A interpretetur, nunc corniculatam, nunc dividuam, nunc protumidam, nunc plenam contemplatur: Ignium denique facie varia, quanto longius facessit à Sole, tanto largius collustrari, parte luminis compotem, parte altera cassam proque oris circumversione fulgoris speciem variare: sive id alieno irradiata lumine faciat, sive proprio præpetique candore, ut Chaldæi arbitrantur. Cleomedes enim libro de cœlestium orbium contemplatione scribit, inter Berosi placita contineri, corpus Lunæ pilam esse dimidia parte candidam, altera caruleam, partemque illam candidam proprietate quadam *nis ovum ab eis*, ad Solem semper converti: unde quo magis illi succedit, luminosam illam partem à nobis averti magis: quo vero longius abscesserit, eo magis oculum nostrum in amborum *meo* medio sisti, partemque candidam nobis adversam fieri, ac perinde sese exhibere conspicuam. Tangit idem Apulejus in Deo Socratis.

PRINCIPIUM. CAP. V.

Ostridis vero tæniæ nulla fucabantur umbra, sed undecunque micantissimæ splendorem nitidum præ se ferebant. Nam cum illæ principii symbolum essent, idque virtute sua purum nitidumque sit, neque ullius rei admitione labefactetur, nihil præter candorem ostentare par erat. Sacerdotes autem illi cum has semel in manus suscepissent, eas evestigio recondebant, non amplius videndas atrectandasve, Isiacis vero sæpius utebantur. Tæniæ autem Græcam vocem sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorati. Hinc Ennius Alexandro:

Volans de cœlo cum corona & tæniis.

Tænia quid

Sed ut rei Philosophiam in albis hinc tæniis explicemus: manifestum est rerum omnium principium ab omnibus sanæ mentis hominibus ad Deum referri. Album autem est prima veluti materia quædam, in quam colores, quotquot volueris, perinde ac in universalem illam possis omnes species inducere. Hinc ad Dei cultum alba plurimum indumenta omnium pene nationum consensu adhiberi solent, semperque albus color sacris accommodatus. Atque ideo ait Persius: *Quamvis albata rogaturis.* Sed quid indigemus Persio, si assertotis nostri indumenta, cum gloriam suam vellet discipulis patefacere, alba sicut nix apparere? Apud Ciceronem II. de Legibus: *Color albus præcipue decorus Deo est tum in cateris, tum maxime in textili.* Et nostra pietas canit, ut linteas, easque purissimas induti tunicas, sacra Deo caneremus. Sed quoniam præcipua annorum, mensium, & dierum hieroglyphica tam significata, desumuntur à vario cœlimotu, præteritis multis, quæ per figuras varias indicabantur, nec vulgo tamen, sed solis sacerdotibus Ægyptiis innotescerant, ad cœlorum perindeque circulorum considerationem progressi, reliqua quæ de temporibus significantur, per horum figuras explicabimus.

Albi coloris commensuratio.

DE CIRCULO. CAP. VI.

Circuli significata non apud Ægyptios tantum in usu fuere, sed & apud nationes alias multifariam accepta: quare separatim suum, hoc est, hunc locum sibi deposcere visi sunt.

ÆTERNUM PERPETUUMQUE.

CAP. VII.

Nam quod modo in Ostridis tæniis dicebamus, has utpote albas principium indicare, unus quippe circulus descriptus, aut simpliciter, aut alteri cuiquam picturæ signove circumductus: nunc semper, nunc perpetuum & æternum, nunc omnia, quippe τὸ πᾶν significabat: nempe quod in ea figura neque principium, neque finem invenire sit, quod æternitatis est proprium, & quia omnium est figurarum capax, universitatem ipsam intra se completi videtur. Ab huiusmodi autem circulari ambitu exacte peractio, videlicet cum Sol à matutino horizonte digressus, eodem redierit, unde ferri ceperat, divinæ literæ *Tota die*, pro perpetuo posuerunt, ut Psal. 71. *Ut cantem gloriam tuam tota die,* ubi Symmachus, pro lectione, quæ est, *Tota die*, perpetuo reddidit.

Tota die pro perpetuo.

DEUS. CAP. VIII.

Cujus etiam principii finisque nusquam apparentis ratione habita, Ægyptii Deum ex hieroglyphico circuli intelligebant. Persæ vero (quod non absurdum est repetere) cum Jovem cœli domi-

dominum dicerent, sacrificia illi se facere putabant, ubi celsissimam speculam conscendissent, Jo-
vemque cœli circulum nuncupassent. Transit idem mos ad Turcas. Hinc ab alta quaque turri
matutinales illæ acclamationes, quarum sensus est, Deum fuisse semper, futurumque semper, neque
quicquam aliud, nisi quod suum etiam salutant Mahometum Sarraceni quoque & pleræque aliæ
nationes Deum, Circulum appellabant, atque hinc sempiternum exprimi contendebant.

ADORATIO. CAP. IX.

*Aloisius
circumactu
corporis.*

EA de causa Pythagoras circumactu corporis adorandum jubet his verbis, *περικύβητος*
περικύβητος, quod Plutarchus ad imitationem cœli perpetua vertigine circumacti fieri putat, quam
quam nonnulli dicunt ad rerum humanarum varietatem, assiduamque mutationem, in quibus ni-
hil stabile, perpetuumque sit, arbitrantur. Sedenim quod ad corporis conversionem pertinet, muta-
rum is gentium mos fuit: idque Propertiani loci aperit intellectum, libro 1.

*Ante tuos quotiens verti me perfida postes,
Debitaque occultis vota tui manibus?*

*Sutton. in
Vitell. c. 2.*

Quod dubio procul adorationem rite factam innuit. Tale aliquid apud Suetonium invenias, ubi
Lucio ait, de Vitellii progenitoribus loquens: *Idem miri in adulando ingenii, primus Capitiæ Caesarem
adorari, ut Deum instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circum-
vertens que se, deinde procumbens.* Fuit vero Numæ institutum, ut adorantes Deos, in orbem sese ver-
terent, deinde vero sederent. Præterea conversio illa, & totius corporis circumactio, nobis docu-
mento est, nihil ex humanis rebus firmum esse & stabile, & utcumq; vertat Deus, revolvatq; vitam
nostram, id iurandæ ac libenter admitti oportere. De festu autem in Cynocephali commentario di-
ctum, situm huiusmodi ad divina pertinere. Id vero minime prætereundum, fieri solitam eam corporis
conversionem à sinistra in dexteram, ad ipsius mundi imitationem, cuius ortus, ut & Plinius, &
nonnulli alii tradidere, ab læva parte est in dexteram præceptus. Quare jocatur Plautus Curculione,
dicente Phædromo: *Quo me vertam nescio, subjungit Palinurus servus: Si Deos salutas, dextro ver-
sum censeo.* De Camillo memoriæ proditum est, cum se ad dexteram convertisset, ut mos erat Roma-
nis adorantibus, subito eum lapsu cecidisse, quod omen ad damnationem, qua postea oppressus est,
pertinuisse creditum, omnia eo populo superstitiosius æquo pendente. Quoque ad huiusmodi
circuitum in adoratione pertinet, notum ex historiis est, quam prudenter Marcellus ad Capitolium
Cisalpinæ Galliæ vicum se gesserit. Nam cum impetum in Gallos faceret, retractus ab Equo ob
hostium clamorem perterritus, circuitum eum adorato Sole, ut Romanis in pugnae principio fa-
cere mos erat, de industria fecisse simulavit, ne apud suos mali ominis religionem excitaret. E con-
trario Galli sinistrorsum, & in lævam partem religiosius fieri ab adorantibus conversionem corporis
arbitrabantur, de quo ita Plinius: *In adorando dexteram ad osculum referimus, totamque corpus cir-
cumagimus: quod in lævam fecisse Galli religiosius credunt.*

*Numæ in-
stitutum in
adorandis
Dii.*

PERFECTIO. CAP. X.

*Nam τή-
λειος*

DEnique apud veteres observabatur, ut facto sacrificio, circulum in ara illinerent ex hostia-
rum sanguine, quem phiala religiosissime collegissent. Idque erat sacrum illud verbum *τήλειος*,
quod perfectionis indicium esse dicebant: quod figurarum ea sit undecumque perfecta.

ANNUS. CAP. XI.

*Id est, perfe-
ctus & dege-
τη τήλειος,
perfectus
virtus.
Arist. libr.
Eth. 1. c. 13.
Aureus cir-
culus in Si-
mandii se-
pul. bro.*

Qui vero per circuli designationem annum intelligi volunt, ut manifestiora prætereamus, ejus
potissimum aurei circuli ratione inniti videntur, quam de Simandii sepulchro & Cambyses &
Persæ sustulerunt: erat enim ille trecentorum & sexaginta quinque cubitorum ambitu, cubiti unius
latitudine, singulis anni diebus in singulis cubitis, exsculptis, per astrorum ortus occasusque, quibus
ea secundum Astrologos observata significarent: cuiusce rei quædam propemodum umbra habetur
Patavi in Palatini palatii aula, ubi corona superne circum circa ducta, Zodiaci primum totius figu-
ris insignis, mox gradibus suis distincta, quorum unicuique adpictæ sunt certæ rerum imagines,
quæ pueri gradus ejus emerfu nati, modo ingenium, modo sortem indicent: quarum ego testimo-
niis sæpe uti soleo hieroglyphicis meis fide faciendæ: nam Ægyptium quid omnino sapere vi-
dentur.



AD anni autem similitudinem Poëmaticis etiam genus Circulus appellatur, cuius Aristoteles Analyticis meminit. Id alii alio exposuerunt modo. Sed nimirum Poëma illud Circulus appellatur, cuius finis idem est cum principio, cuiusmodi est Catullianum epigramma in annales Volufii, & san veteris Gallicæ Poëseos notaten, Rondau. Circularis alterum in Nonium Strumam, & unum etiam in Mamurram & Cafarem Euthymius sane Circularis Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam sempiterna est ejus misericordia. Fierique solet, ubi sententiam aliquam insigniore in audientis animo quasi aculeum quandam è repetitione productum affigere, utque tenacius memoriæ inhærescat, affixum ita relinquere.

CONTRARIETAS: CAP. XIII.

Motus vero, qui est in circulis, natura considerata, in causa fuit, ut periti Mathematicarum, contrarietatem hieroglyphice significare volentes, duos juxta sese contingentes circulos describerent, quales in quibusdam machinis fieri vidimus, propter unius incurvationem adverso motu alterum circumagi: atque ita manifestam discordiam apparere, quam in adolescentiæ nostræ delictis, amore in indignationem converso, ita ex Aristotele descripsimus:

*Non aliter motus concurrere ad oscula vidi,
Hinc atque hinc gemina siccioere rota,
Quæ simulac primis sese teigere labellis,
Pars ea quamprimum, quæ veniebat, abit.
Fitq; ex concursu facies contraria prima,
Machina versa meo qualis in igne fuit.*

SUMPTUS PUBLICI PRIVATIQUË.

CAP. XIV.

Orbiculi quidam numismatum speciem referentes, quos in aliquot pyramidibus & obeliscis excisos videas, pecuniam indicant in opere construendo erogatam: qui si fuerint in orbem dispositi, sumptum ejus operis significare ajunt publicum fuisse, sin parallelari quodam ordine sculpti, privatam impensam significare contendunt, quæ tamen interpretamenta juniorum quorundam esse, non inficior: nam apud veteres nihil tale interpretatum inveni. Exigeret hic locus, ut de circulis quibusdam mutua complicatione conjunctis, qui disciplinarum hieroglyphicum constituunt, rationem subjungerem, sed quoniam argumentum illud alio commentario, quod Illustrissimo reverendissimoque Herculi Mant. inscripsimus, late satis explicatum est, ad spheram nunc & figuras aliquot istius cogitationis convertemur,

DE SPHÆRICA FIGURA. CAP. XV.

Per circulum superius Deum à nonnullis intelligi docuimus. Caterum si qua Deo forma similitudine adscribi possit, longe convenientius spherica illi figura accommodabitur. Merito itaque Xenophanes mundum illum archetypum spheram appellavit, veteresque plerique veræ Theologiæ scientiam nondum assecuti, nihil esse aliud Deum, nisi cælum ipsum, & cœlestia ista arbitrabantur. Sed & Salomon ad Deum conversus: *Exaudi ô cælum, dixit.* Deos tamen, ut nostrorum interim oracula missa faciamus, neque mensura, neq; forma ulla comprehendi posse dicit Jamblichus, & omnes, qui aliquo veræ doctrinæ lumine irradiati fuerunt,

ÆTERNITAS. CAP. XVI.

Itaque recte cum per hieroglyphicum spheræ Deum intelligerent, æternitatem quoque eadem figura descripserunt. In numo enim Faustina, quam retulerant inter divos suos, sigillum est cum sceptro super spheram sedens, dextera exporrecta, cum inscriptione, ÆTERNITAS. Eadem inscriptio in numo altero, ubi dea summis lævæ digitis palam tollit, dextera spherulam porrigit. Cum vero mundi ipsius figura in orbem conglobata perhibeatur, plerique veterum eo signo crediderunt,

mun-

mundum identidem principio caruisse, quodque in divinis Græci reddiderunt *ἐξ ἀρχῆς*, ab aeterno hi sunt interpretati. Quibus Magnus Basilius egregie respondet, atque inter alia, figura hujusmodi principium, quod incompertum illi putant, & scholis omnibus declamitant, a centro is esse demonstrat. Apud Romanos quoque perpetuitas est per sphaeram indicata, ut sphaera illa, quæ cum caduceo & pharetra transversis, virgaque cui palliolum appensum est, dexteræ que consertæ, in numo, quem Cæsari cudit L. Buca, in cujus altera facie inscriptio est his literis, CÆSAR. DICT. PERPETUO. Sane perpetuitas ex sphaera, autoritas vero Dictatoria, quæ illi consensu atque concordia civium demandata fuerat, per insignia reliqua significantur, de quibus sigillatim dicere non est hic locus.

Cæsari
in numo

COELUM. CAP. XVII.

Adem pila Solis & Lunæ signis conspicua, cœlum significabat. Alii per hujusmodi species *CUNCTA*, veluti etiam in circulo, interpretabantur: siquidem circumflexu cœli, quem alio nomine Mundum appellamus, cuncta regi comprehendique manifestum est: quippe qui totus in toto sit, imo vero ipse totum, extra intraque in se cuncta complexus. Quin non modo pila, sed simplex rotæ curvatura cœlum apud Ægyptios indicabat. Ita enim apud Cyrillum legas libro nono contra Julianum, quod præcipiti quidam ingenio pro Aspide Aspitem transtulerunt. Hujus picture eam Ægyptii tradebant causam, quod cœlum in circuitum assidue feratur.

FORTUNA. CAP. XVIII.

Fortuna sive
gura. Et
minus
præcipuum

Vulgatissimum illud inter hieroglyphica, Fortunam nunc rotulæ, ut vulgus, nunc sphaeræ cui, ut Cebes, insistentem pingere: sive ut eam rerum dominam ostentem, qua etiam de causa Apelles eâ in sedem collocavit: sive ut ejus instabilitatem inde coarguant. Quin a volubilitate nomen etiam illi: nam quæ prius Vortuna a vorto dicebatur, digammi mox mutatione in F affinem literam, quod in plerisque factum est locutionibus, in Fortunam abiit. Cujus præcipuum opus est ima summis, & summa imis commiscere, rerumque omnium vicissitudinem inducere, cujus quidem veriginis ergo *Φερετὸς* ἢ *ῥύχη* Pindaro nuncupata. Nam si fortuna propriū hoc habet, ut vicissitudinum author sit, quos modo claros effecerat, mox obscuret, fovereque desinat: quos vero premebat, jam erigat, & illustres efficiat, quæque antiquissimus Hesiodus super his de Jove dixit, jure ipsa sua propemodum administret, quid in rerum natura mutabilitati huic & apertissime rerum vicissitudinis magis simile reperiat, quam circuli, rotæve motus? constant enim hæc primum, simul ac fuerit, ex re ipsa, contrariis simul manentibus, & integris, curvo scilicet & concavo, ex stante & moto, centro scilicet & circumferentia: ac simul ac impelli cœperint, una eademque linea, uti superius dicebamus, ab & redit, ascendit atque descendit, eodemque motu, quod primum erat, ultimum, quod ultimum primum evadit, ut nihil denique in una re quæpiam variantius excogitare possis. Unde merito dixerit Aristoteles circulum miraculorum omnium esse principium. Id vero minime prætereundum, Ægyptios ejusdem mutabilitatis ergo Amorem atque Fortunam eodem in delubro venerari consuevisse. Constat igitur pilam atque rotam volubilitatis hieroglyphicum esse, & luculento apud Græcos epigrammate Posidippi de Occasione, quæ idem fere cum Fortuna officium exercet. Ea enim cur rotula insistant interrogata, *Scare loco nequeo*, respondet. Auguralis autem disciplina observatione proditi est,

Polum ferens fortuna.
Idem Homerus Iliad. lib. ultimo. tribuens Jovi dolia duo; in quibus sunt bona & mala, quæ pro arbitrio dispensat.

Ab Auson. in Epigrammati.

P. Septimii Getæ nummus.

sphaeram æream de Cæsaris Maximini statua, quæ in vestibulo Regiæ locata erat Antiochiæ, excusam repente Joviano Imperatore urbem eam ingrediente, turbarum quæ subsécute sunt in ejus perniciem, portentum habitam, quod Aruspices rerum volubilitatem id significare asseverarent. Et Constantius Imp. paulo antequam moreretur, imaginari per quietem visus est, cernere se patris effigiem, quæ pulchrum infantem offerebat, quem ubi gremio suscepisset, projecit is longius sphaeram de manu ipsius Imperatoris excusam: quod temporum permutationem portendere, eventum minime irritum ab Aruspicebus responsum est. Quod vero dicebamus, Fortunam sphaeræ insistentem pingi solitam, apud plerisque variat hujus argumenti species, ut in numo P. Septimii Getæ. Cæs. sigillum ab altera parte est cum radio in læva, cum sphaerula in dextera, quæ exporrigit, uti colosseæ quædam minus æhenea, in Capitolio habetur. Vidi etiam Fortunæ simulacrum pilæ insistens cum novacula, cum navali clavo, & cornu copiæ, in qua, novacula felicitatis indicat amputatione: pila facilem ejus volubili-

A **h**abitatem, ut passim : clavus, vitæ nostræ sub ejus ditione cursum : cornu copiarum, bonorum largitionem. Sane Plutarchus commentario de Fortuna Romanorum, Fortunam ait trajecto Tyberi, positam alis, exutis talaribus, abjecta instabili & vestigia fallente pila, ita Romam ingressam, quod indicium esset eam ibi constanter permanuram, neque alio in posterum abvolaturam, illud scilicet Maroniam secutus, quod de Romanis ait :

*His ego nec metas rerum, nec tempora ponam,
Imperium sine fine dedi.*

Æneid. l. 6.

TERRARUM ORBIS. CAP. XIX.

Quo pacto autem terrarum orbem pila descripta significant, rudi etiam innotuit plebecula. Orbem enim linea quadam, veluti finitore circulo dissectum, alterum quoque ex hemisphaeriis, quippe superiorem quasi meridiano circulo producto dividunt, à meridiano autem quasi coluri partem ad occidentem Solem vertunt, atque inde Asiam, hinc Africam & Europam intelligunt, cum tamen Poeta terram *ἀπείρονα* dicant. Cujus vocabuli si vim simpliciter interpretemur, infinitam exponemus. At Joan. Grammaticus, Aristotelis interpres accuratissimus, *σφαιροειδῆ* mavult interpretari, omnino enim neque sphaera, neque circulus finem principiumve ullum præ se ferunt. De figura vero terræ quam varia aliis atque aliis credatur, videndum apud Plutarchum libro de Philosophorum placitis altero. Sed nos in hoc antiquis feliciores sumus, quod non uniuscujusquam testimonio, sed jam innumerabilium de visu referentium, universum hunc orbis globum terra marique & habitabilem & permeabilem accepimus, & quotidiana in hanc & illam partem supra & infra navigatione, manifestior sit in dies. Sed quod ad orbem nostrum attinet, videre est in Faustinae numo quodam sphaeram pro terrarum orbe positam : ibi enim Cybele Leoninae infidet sella, sphaeramque inter manum atque genu continet, inscriptio, quæ ad hanc rem facit, est, MATRIMAGNÆ. In numo Germanici Imperatoris Augusti Victoria sphaeram movere videtur, in qua literæ, S. P. Q. R. quasi terrarum orbem Senatui populoque Romano adjudicatum jam esse, significare velit. Sane autem Imperatoris Nervæ Cæsaris Augusti sphaera S. C. ad cusa est, cum adjecto temone, quod orbis gubernationem dubio procul indicat. Et eodem significato Imperatori Vespasiano Augusti, P. M. P. P. P. C. O. S. VI. Utrumque numo æreo signum idem dedicatum. Grati vero Imperatores qui diis acceptum referent, quod regnarent, id deorum providentiæ adscribentes, rem numismatum monumentis testati sunt. Nam in M. Antonini Pii numo simulacrum muliebre videas quod stans læva contum tenet, dextra radium, quo præjacentem pilam verset. Inscripção, PROVIDENTIAE DEORUM. In altero ejusdem simulacrum idem læva manu baculo innititur, cuius apex in lituum flectitur, læva pilam radio attingit, quasi eam versaturo, aut leges illi consistendi præscripturo, inscripção, PROVIDENTIA. Eadem pila in manu dextera exporrecta in numo L. Veri Augusti, cum inscripção, PROV. DEOR. TR. P. III. COS. At in Maximini simulacrum cum cornu copiarum, radioque in ejus manu dextera pilam à pedibus versante, cum inscripção, PROVIDENTIA AUG. In Antonini vero Pii numo sphaera cum cornu copiarum, FELICITATIS adscripçãoem habet. Dicata etiam est cum jaculo, Philippi filio, inscripção, PRINCIPI JUVENTUTIS.

Faustine & quorundam Imp. numismata.

MUTABILITAS. CAP. XX.

Quod autem ad rerum mutabilitatem facit, non pila tantum, verum etiam rota in hujusmodi accipitur significatum. Psal. enim 83, legitur : *Deus meus, pone eos ut rotam*, hoc est, tam facile felicem eorum statum converte, quam volubiler rotam ipsa convertitur. Ita Euthymius, Eucherius, & alii.

Græce ῥοτῶν & Hebraice גלגל. Vel quomodo trochus torquetur a pueris.

DEROTA. CAP. XXI.

Et quoniam res ipsa nos ad rotam iterum reduxit, cum aliquot adhuc super ea reliqua sint significata, quæ distinctio sit in rotis primum enarrabimus, mox quæ ad significatum attinet, exequemur,

DEORUM ROTÆ. CAP. XXII.

Sciendum enim rotas plurifariam à radiorum numero distincta esse. Nam quæ diis attribuntur, octo radiis insignes figurantur: propterea quod rerum cœlestium motus in octavam usque sphaeram, quantum humani oculi vis porrigi potest, observantur.

HUMANÆ ROTÆ. CAP. XXIII.

Homini vero rotæ sex tantum radiis compingi debent: tot enim sunt humanæ naturæ motus, in anticam, in posticam ingredi, vel retrocedere, in dexteram aut in lævam ferri, sursum aut deorsum ascendere, vel descendere.

INFERORUM ROTÆ. CAP. XXIV.

Quæ vero Ixionis rota fertur, quatuor tantum radiis compacta fingitur, unde Pindarus dixerit, *ἡ τροχὸν ἰωνὸν ὀλοβόον*. In ea vero ita distinctus fingitur Ixion, ut manus singulæ singulis radiis affixæ essent, totidemque aliis pedes singuli. Quæ de re apud Pindarum legas Pythiis, Ode ad Hieronem altera. Nervæ Trajani numus est, à cuius una parte ipse pro suggestu populum alloquitur, rogatus vero populus sublatis in cœlum dextris applaudit, inde in extremo margine metra est iuxta cuius basim Nympha jacet humi fusa, sinistro brachio supra rotam expretrecto. Sunt qui ex hoc Circum inscripturatum à Trajano interpretentur: quia rota circumagi videntur.

Verba Trajani numi.

AQUA TRAJANA. CAP. XXV.

Sunt qui, ut mihi videtur, longe rationabilibus aquam Trajanam intelligant. Nympha enim huius morem, humi præsertim fusa, dubio procul indicat: innixa vero rotæ, aquæ cursum non incongrue significare possit. Alibi vidi Nympham ipsam in ejusdem Trajani numis cum rota superne sita, & inscriptione, VIA TRAJANA, quorum utrumque artificiose, maximeque proprie figuratum. Nam in via rota superne volvitur, in aqua cursus ab imo est. Alius item numus ejusdem Trajani, in quo signum idem pene humi prosternitur, levæ ramum frondibus vestitum, dextera currulem rotam iuxta genu tenens, sub basi cuius literæ sunt, VIA TRAJANA, S. C. circum circa vero, S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. In alio, in quo eadem litera circumductæ, aquæ ductus habetur in semicirculum fornicatus, idem que simulachrum humi fufum cum arundine infra, & literis in hunc modum dispositis.



VIÆ NOSTRÆ PROGRESSUS. CAP. XXVI.

Sedenim viæ etiam sua habet significata in Divinis literis: quippe quæ vitam hanc quam vivimus indicat, unde omnes à die nativitatæ ad extremum usque viatores, hospites, & peregrini dicimur: utpote qui solum hoc extra patriam incolimus, ubi nulla consistendi firmitas, perpenna vero semper agitatio animi, ubi demum rerum, aut sententiæ confidendum sit examinantis. Distingunt insuper Theologi viam à semita, per viam mandata ea peragenda intelligentes, quæ universo mortalium generi data sunt: per semitam vero, quæ huic vel illi personæ, ordini, collegio, nationi præcipiuntur.

Via & semita distinguuntur.

THEOLOGIA. CAP. XXVII.

Sunt qui per rotam currulem in Divinis literis Theologicæ doctrinæ hieroglyphicum intelligant. D propterea quod rota ea terram ima tantum attingat superficie, reliquum in sublime tollatur, & aurigam animum semper terra procul surrigat. Idem præterea est officium rotæ, quod & Theologi, ut scilicet à terrenis imisque rebus ad sublimium cœlestiumque naturarum speculationem attollatur: inde mox à Divinis ad humana descendat, quodque inter se vinculo colligentur ostendat, qui quidem est rotæ motus. Sed quoniam proprio commentario multa, de universo curru diximus et Divinis literis, de quæ mysticis ejus rotis, nunc cum terrestri iter eamus, Trajana procedemus via.

Rota idem ac Theologi officium.

IMPERITORUM PRÆCIPITIUM. CAP. XXVIII.

Sed cur id dissimulem, quod in divinis literis imperitorum præcipitiam per rotam significari comperimus: & in hanc sententiam à Psalmographo dictum citamus: *Dei meus, pone illos ut rotæ*.

Rota

A Rota quippe posteriore parte attollitur, anteriore cadit. Posteriora sunt bona fortuna, quæ quia nostra non sunt, ea nobiscum transportare non possumus, ideoq; à tergo relinquuntur. Anteriora sunt æterna, & quæ nos assidue comitantur, imo nos præcedunt, seque duces, quo progrediendum sit, exhibent. Impurus igitur & imperitus rerum, cum fortunæ bonis augetur, a versus retro faciem quæ æterna sunt obliviscitur, atque ita fit, ut anteriore parte neglecta præceps eat: nam posterioris, quæ attolli videtur, admiratione captus, in quam rapiatur, voraginem animadvertere nequaquam potest, atque ita præcipitatur.

Anteriora
& posteriora
Rota
quid.

DE QUADRATO. CAP. XXIX.

A B egregie mobili figura ad maxime stabilem transire quodam veluti antipathix loco visum est: quippe ut vario eo delassatus motu, firmitatis istius occasione quietem aliquam aucuparer. De quadrangulari igitur figura differemus, quæ multipliciter descripta, multas idemdem præ se fert significationes.

ANNUS SOLARIS. CAP. XXX.

Quarum prima illa est, quam initio commentarii super Idide tetigimus, Ægyptios quippe duas anni rationes habuisse, unam qua vertentem, cccclxv. diebus, & horis senis, agnoscebant: alteram, qua Sotheos ortum quarto quoque anno quadrantibus illis diei quatuor in unum contractis, observabant supputationi huiusmodi respondere. Cum vero jugerum centum cubitis dimetirentur, quartam jugeris, quæ scilicet cubitis xxv. clauderetur, pro sex horis quæ unoquoque anno superabant, accipere consueverunt, ac perinde vertentem annum intelligebant, cui quarta illa diei pars addita, quarto quoque absoluto, dies etiam unus intercalaris ex quartis illis adauctus adiciebatur. Sed quoniam hæc & alia multa superius super anni ratione differuimus, ea repetere supervacaneum esset & importunum.

Annus
terrens, &
Sæcularis.

SAPIENTIA. CAP. XXXI.

V Eluti vero Fortunam rotundo lapidi insidentem pingere veteres instituerunt, ita Sapientiam in quadrato statuebant, ex hoc hieroglyphico volubilem illam, uti paulo ante diximus, huiusmodi sedem firmam & inconcussam indicantes. Et nostri quadrata ligna quæ ad arcæ Noes fabricam parari divinum iussit numen, Doctores & magistros in Ecclesia significare dicunt, quorum sapientia inclusi intus populi conservantur, & ab incurstantibus hæreticorum procellis muniuntur. Ex quadratis enim lignis construere debere nos Bibliothecam admonet Adamantius, non ex aggregabilibus, rudibus, & impolitis: quippe Prophetis & Apostolicis voluminibus, in quibus, solis vera continetur sapientia, utpote qui vitis omnibus refectis excisisque, quadratum vitæ iustioris tenorem, & ex omni parte libratum præ se ferant.

Ligna quadrata
in arca
Noes
quid.

MERCURIUS. CAP. XXXII.

C Umque apud veteres Mercurius sapientix Deus haberetur, Hermæ illa apud Athenienses fieri solita, quadrati quippe lapides, quos tum in privatarum, tum in sacrarum ædium vestibulis ponere consueverunt: ut significaretur, rationem & veritatem perinde ut forma quadrata rectam semper stare. Nam rationis & veritatis Deus, Mercurius antiquis erat.

Sed & Mercurius
quadrato
stata
figurabatur.

JUPITER. CAP. XXXIII.

A Pud Arcadas non Mercurii tantum, sed & Jovis, & aliorum deorum simulachra quadrantalia fieri solita, Paulanias author est: nempe ut eorum inde stabilitas significaretur. Jupiter enim ipse manens stabilis, dat cuncta moveri, ut veteres Poetæ canunt. Nam & Hermæis à firmitudine non est, necesse.

Macr. Sa-
tur. l. i. c. 19.
Ægæa sta-
bili mentis
à ceteris id
est, necesse.

VIR PROBUS. CAP. XXXIV.

Quantum vero pertinet ad virtutes, quadrata forma virum ea de causa probum dicimus, quod cubica figuræ species quoque versum iacta versataque fuerit, recta semper consistit, quatuor lineis, & totidem angulis semper insignis. Hinc illud, ἀγαθὸς ἀληθὴς ὁ τετραγώνος ἀνδρὶ ψόγος. Quadrangulus revera probus, nullique obnoxius vituperationi, quod tangit Aristoteles Ethic. primo, vir quid.

Sumptum
ab Aristot.
Ethic. lib. i.
Quadratus
vir quid.

Vere bonum
Et quadratum
quibus sine
titio.
Ubi in superat
hoc nomen
tanquam
metaphori-
cum.

Et ad Theodecten III. quadratum simpliciter virum per translationem dictum autumat, & perfectum significare. Sane quidem cum tres in corporibus stature considerentur, rotunda, quadrata, teres, humanum corpus quod a pictoribus & statuariis commendetur, sex & sexaginta digitos excedere non debet: quippe quod quatuor cubitorum altitudinem æquat, & quatuor & viginti digitos cubito adscribi, suo commentario probatum est. A quatuor igitur cubitis quadratum corpus denominatum, quod laudatissimæ stature sit. Infra horum digitorum numerum, quos forte ab uniuscujusque corporis proportione accipimus, quo quis magis contrahi, ac propemodum desiderare videtur, eo magis ad rotundam speciem accedit, & corpus illud rotundum appellari potest, quod digitis aliquot est quadrato brevius, vel cujus altitudo extremus brachiorum quam maxime porrectorum digitos non exæquat. Teres vero, cujus proceritas supra sex & nonaginta digitos ascendit, altiorve sit eo mensuræ modo, quem, uti dictum, exporrecta brachia designant. Staturam hanc alii oblongam, alii gracilem appellavere, & rotundiorum illam obefam dixere. Cornelius Celsus corpus illud habitissimum dicit, quod quadratum est, neque gracile scilicet, neque obefum. Nam longa statura, ut in juvenia decorata est, sic maturiore conficitur senectute: solere enim homines hujusmodi supra modum mox incurvari, tam philosophorum rationes, quam historiarum exempla offendunt, si quæ quoti die oculis offeruntur minus animadvertimus. Et Antoninum Pium hujusmodi fuisse tradit Julius Capitolinus, ut summe eum ad emendandum vitium tabellis ex tiliis, quibus pectus ad sustinendum pondus altitudinis fasciis obligaret.

CLARI VIRI. CAP. XXXV.

Proceriores
res stature
quibus erigebantur,
Et quare.

Quod tamen de certa hominis altitudine dictum est, non negarim proceriores statuas erigi solitas, qui vel victoria aliqua, vel præclaris aliis facinoribus supra reliquorum mortalium gloriam erecti sunt, ut Diagoræ Rhodii Olympionicæ statua decreta est quinque supra quaternam cubitam digitis. At Damageto ejus filio paterna minor uno, cæteris major digitis quatuor. Sunt qui habitam in his rationem putent, ut recta proportio oculis representaretur: quoniam ejusmodi statua in columnas sublatæ, dum suspiciuntur, naturæ longitudinem excedant, in monstruosam quandam obestatis speciem declinare videantur, spatio fallente oculum. Sed ut hoc non negarim, ita etiam plures statuarum ordines fuisse, non ignorandum dixerim: pariles quippe, magnas, majores, atque maximas, alias, benemeritis & sapientibus viris, alias Regibus, Imperatoribusque, alias heroibus, diis alias herosolitas. Sed in iisdem ipsis statuis non ea mensuræ consideratio, qua de nos agimus, perpenditur, cum in illis sua cuique proportio adjudicata esset, qua opus perfectissimum redderetur. In ratione vero nostra cum obefum, quadratum, aut procerum corpus dicimus, rationem eam inspicimus, qua ad digitorum & numerum & proportionem quadret, ut hæc ab illa distinguatur. Hinc illud apud Transquillum intelligi potest de Flavii Vespasiani habitudine quadrata, & quod apud Palladium est, *Sunt boves novelli, quadratæ & grandibus membris.*

MULIERIS STATURA. CAP. XXXVI.

Idem de eodem, c. 10.
Statua fuit quadrata compactæ firmique membris.

Quoniam vero decet muliebrem habitudinem graciliorem esse, atque ea de causa matronales virginalesque columnæ, quarum ratio ad humani corporis similitudinem primum excogitata sunt, proceriores quam Doricæ, quæ viriles nuncupantur. Hinc fit, ut quæ virum decet quadrata facies & habitudo, deceat mulierem, & qui virum probum Quadratum dicimus, mulierem Quadratam, & quadrantariam. Alia tamen ratione prostitutam intelligimus, de quo apud Plutarchum in M. Tullii vita, & apud Tullium oratione pro M. Cælio, quod non à corporis dimensione desumptum sed ab exigua ea stipe, qua parabilis habetur. Sedenim Siculi ad hæc usque tempora meretrices vulgo Quadratas dicunt, easdem Itali reliqui, vel ab obsequio, vel ironice, Bonas feminas appellitare consueverunt.

ROMA VETUS. CAP. XXXVII.

ET Roma olim quadrata, eaque specie primum ædificata, diuque permansit, ut quadrata Roma dicitur, præcipue locus in palatio ante templum Apollionis, ubi reposita erant, quæ boni omnium


nis causa in urbe condenda adhiberi solita. Saxo autem munitus erat in speciem quadratam. Eius loci meminit Ennius eo versu,
Est nunc, & quis erat Rome regnare quadrata.

DE META. CAP. XXXVIII.


Jam metarum pyramidumq; ratio nos appellat, quarum significata referamus: & quoniam & quadrangulares & triangulares metae reperiuntur, de quadrangularibus prius dicere incipimus, argumento eo, quod praemanibus erat, invitati.

F I N I S.



Finem haec aut operis consummationem absolutumq; modum ostendit: siquidem myrias, qui decem millium numerus est, metam asruit. Numerus vero is ab unitatibus multiplicatus, & maximus, & perfectissimus est, adeo ut sumpto ab unitate principio, sit in myriadem finis. Pyramidis enim basis, ut apud Philonem est, longitudine pedum centum, ac totidem latitudine constituitur, quibus juxta quadrati naturam multiplicis, in quem diximus numerum resultat: quem quia perfectissimum esse dictum est, finem iidem & exactum opus metae, & ter multiplicato denario constituta, significare dicitur. Decadis autem vis est quaternarius numerus: secundum enim compositionem a monade ad quaternarium punctis in unum contractis ac supputatis, decas fit. Decies autem decem, centum: decies centum, mille: millia decies, summa perfectissima. Adtipulatur huic perfectioni architectorum etiam commensus, qui perfectionem in denario, quem antiqui *πλειον* appellant, collocaverunt. Et Romulus, non ille quidem inter pastores, ut putat vulgus, educatus, sed Stabii oppido non incelebri literis institutus, & ut Plutarchus attestatur, liberalibus artibus & disciplinis eruditus, ad eam quae subséquuta est felicitatem ausu minime temerario via sibi ad aperta, confirmatis jam rebus, regnoque jam constituto, quaecumque fecit, & instituit, denario finivit numero, ut putant Senatores in x. decurias, urbem in curias xxx. in totidem decurias equites. Principes hastatos & pilanos denario finivit. Annunquae demum in menses x. terminavit, quod ad nostram usque diem tributo militibus erogando perduravit. Addunt nonnulli, non temere esse denarium numerum tam pedum quam manuum digitis attributum, & os capitis a mento ad frontem summam, & manus palmam ad Medii usque digiti summum, mensura decies repetita, perfectam cujusque hominis altitudinem dimetiri. Quod vero Mathematici, qui altius Philosophantur, numeri perfectionem alii in senario, alii in septenario posuerunt, alterius est considerationis, quam in Digitorum commentario delibavimus, sed ad hos numeros illa nihil attinent. Hujusce perfectionis ergo Aegyptii, reges suos, qui mortales reliquos gloria praecessissent, honorare metis & pyramidibus, quae sepulchris eorum superponerentur, consueverunt: de quibus



Hinc En. r.
Hic ego nec
metae, id
est, finis.



De denario
numero.



cum

Pyramidum
origo & ety-
mon.

cum pleni sint historicorum libri, neque plura super Ægypti rebus miracula celebrentur, quam molium huiusmodi amplitudines, aliquot etiam ad hanc usque diem perdurantibus, rem adeo notam verbosius prosequi superfluum existimavi, si unum illud addidero, Nazianzenum minime respuere eorum opinionem, qui pyramides eas in Ægypto celebriores ab Iosippo Hebræo exadificatas putant, ut frumenti conditoria essent, & nomen rei consentire dicit, quod *πυραμίδας* vocant. Nam & Stephanum, in iis quæ Hermolaus Byzantinus compilavit, legas dicitur eas *ἄπὸ τῶν πυρῶν*. Sed fabulam subjungit, *ὡς ἐκεῖ συναγαγὼν ὁ βασιλεὺς, ἐνδεῖαν ἐπιπέσειν αὐτῆς, κατὰ τὴν αἰγυπτιον*, à tritico scilicet quod undique congestum Rex eo contulerit, penuriaque Ægyptum affecerit, cum Iosippi consilium salutare fuerit, ne mortales fame, quæ per tot annos futura erat, absumerentur. Illas porro vulgus adhuc Granaria Pharaonis vocat.

DE TRINO. CAP. XXXIX.

Inter hieroglyphicas has imagines, & trinum, triangularemque pyramidem nonnulli adnumerant, cuiusmodi obelisci bases aliquot Romæ vidi, quod mysterium enodare, etsi profundioris ingenii, altiorisque disciplinæ opus esse non ignoro, in quò omnia, ad hoc usque tempus ingenia præstantissima defatigata sunt: non absurde tamen me facturum existimo, si modicum quid umbra ad commenti huius rationem ex Philosopherum Theologorumque vetustiorum dicitis, pro renata breviter tetigero.

TRINITAS RERUM. CAP. XL.

Unitates in
rebus tres,
& quæ.

Tres ajunt hi in rebus unitates considerari, ita tamen mutuo connexas, ut unitatis simplicitate minime discedant. Est enim primum ea in rebus unitas, quæ unumquodque sibi est unum, sicutque constat atque cohæret, cui quidam ex veteribus adeo favere visum est, ut numerum ex natura rerum amovere cogitarint. Est ea secundo, per quam altera res unitur, & per quam demum omnes mundi partes unus sunt mundus. Tertia, atque omnium princeps, est, quæ totum universum cum suo opifice, quasi exercitus cum suo duce, est unum. Adest tripartito considerata unio hæc, unicuique rei per suam unam simplicem unitatem, derivatam ab uno illo, quod & primum unum, & trinum simul, atque unum est, à Patre inquam, Filio, & almo Spiritu. Nam & Patris potestas, omnia producens, suam omnibus largitur unitatem. Et sapientia Filii rite omnia disponens, omnia invicem unit & copulat. Mox Spiritus amoris sui vinculo ad Deum omnia convertens, totum opus opifici, nexu charitatis adjungit. Hinc illud Deo inditum amoris cognomentum quo mortales affecti, primo Deum ipsum supra nos, supraque omnia diligere debemus, secundo loco nos ipsos, tertio proximum, sicut nos ipsos.

CUBUS. CAP. XLI.

Observatio
Mathemati-
ca de cu-
bo.

Accedit huc Cubus ex trigonalibus figuris, quatuor compactus triangulis, cuius hieroglyphicum est SUPREMUM NUMEN. Nam cum in Mathematicorum datis punctum referatur ad monadem, linea ad dyadem: utpote quæ ab aliquo tendat ad aliquid, superficies vero sit ternarius, qui figuras inter rectilineas principium habetur, ut quoddam veluti elementum, inde si corpus solitum conficiatur, cubus erit, triangulis quippe quatuor rectilineis in corpus unum coagmentatis atque compactis: ita prima pyramis inter solida emicat, cuius basis tres ostendat angulos. Quartus in ipsius figuræ summitate positus, ut numinis formam, ita & nomen quod Pythagoricos accepit. Addunt Magi, simplex quoque triangulum æquilaterum Divinitatis indicium esse, sive rerum celestium effigiem: utpote quod sit sibi æquale, difficulter moveatur, & ad malum declinare non possit.



JUSTI

JUSTITIA. CAP. XLII.

Uero trini profsequamur significata, ut alibi etiam ostendimus, justitia dicaverunt, ut de Pythagoricis disciplinis Plutarchus ait. Injuria siquidem afficere, neque non affici, cum extrema sint, & idcirco vitiosa, justum æqualiter utrinque reductum in medio residet. Sane Pythagorici non numeros tantum, verum etiam figuras deorum nominibus dedicaverunt, quippe qui triangulum æquilaterum Minervam appellabant, Verticigenam & Tritogeniam: propterea quod tribus perpendicularibus lineis ab angulis tribus dissectetur.



MINERVA. CAP. XLIII.

Quod vero pertinet ad Minervam, trigeminam eam nonnulli faciunt, propter anni tempora, quæ ut sæpe dictum, apud Ægyptios tria tantum fuerunt: quippe, Ver, æstas, & hyems. Huic etiam tertium uniuscujusque mensis diem dedicaverunt, cum à Lunæ coitu mensis auspiciarentur, ut Sthenis author est. Pallas enim, ut in eorum est Theologia, die tertia orta est. Et eandem & Pallada & Lunam plerique interpretantur. Hæc vero non prius quam tertio à coitu die se videndam exhibet. Quamquam non desunt qui Tritogeniam ea de causa dictam asserant, quod è Jovis capite orta prædicetur. Triton enim Bœotiorum lingua caput appellatur. Sane Diodorus Pallada æfem esse dicit, eumque incorruptibilem, eaque de causa & virginem deam, & Jovis è vertice editam, confectum esse. Ad hoc facit Horatianum illud:

*Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.*

Nam cum ær tertium ex elementis locum obtineat, Æthræ, quæ pro Jove accipitur, omnino proxima est, & ternarius illi numerus recte datur. Missa facio quæ multa & varia de palude Tritone Græci fabulantur. Sed illud minime dissimularim, quod Democritus dixisse fertur, Pallada Tritoniam ea de causa nuncupatam, quod præcepta tria ad humanam vitam bene beateque degendam necessaria proposuerit, bene quidem consulendum, recte judicandum, juste denique agendum. In quem terminum omnis disciplinæ sanctioris finis dirigitur. Merito igitur ternarius, & triangularis figura ea, quæ lineis æqualibus describitur, & Palladi est, & justitiæ dicata.

HUMANITAS. CAP. XLIV.

Sunt & alia figurarum triangularium significata, quæ Pfellus & libello De demonibus interpretatur. Ea libenter apponam, quia cæteris hieroglyphicis videntur minime dissimilia. Æquitatem enim humanitatis symbolum ajunt, quod quidem una breviori linea descriptum, indicat rationis modulum contractiorem esse, ac perinde multa efugere, quæ percipi non possint.




MORUM DISSOLUTIO.

CAP. XLV.



Vel si una sit linea latiore productioreque, aberrare significat ab institutis, & à recta via, & plus æquo indulgeri quædam cupiditatibus.


CORRECTIO. CAP. XLVI.



DAMO.

Sex dæmo-
num gene-
ra.

Scalenus autem dæmonum, & malarum potestatum figura dicitur, usque adeo inæqualis est, & à bono æquo remotus. Componitur autem ex senario numero, sed imperfecto, qui corporeis, & mundi hujus inferioris rebus obnoxius est, quod in eo circumscriptiones corporeæ sitæ sunt, per eumque mundus hic inferior compositus esse imperito eo seculo putabatur. Ideoque ajunt sex genera dæmonum infra lunarum globum inveniri, quorum primum per sublimiorem aëra vagari tradunt, **LELIURON** appellatum, quasi velint igneum significare. Secundum aëreum, quod in crassiori nebulosaque regione sedem habeat. Tertium terrenum. Quartum aquatile vel marinum, à locis & regionibus in quibus oberrant, quarum curam gerunt. Quintum vero subterraneum, quod vel noctu, vel in puteis, & antris, & hujusmodi locis frequenter apparet, ne antrum Nursiæ fabulosum esse credamus, aut quem Divi Patricii puteum in Hybernia memorant. Nam & cumis & aliis plerisque locis responsa in antris dari solita, totius aëritatis testimonio persuasum est. Sextum & ultimum est lucifugum, imperscrutabile ac tenebrososum penitus, algorique perpetuo damnatum. Id vero dæmonum genus modis omnibus mortales infestare creditur, Stygiosq; latices haustos spargere, unde calamitates, pestes & fames consequantur. Adduntque hujusmodi rerum periti nomina, **Actæum**, **Megalesium**, **Ormenon**, **Lycum**, **Niconam**, **Mimona**, **Alastoras** alios, alios **Palamnæos** appellatos, à quibus omnia in homines incommoda congerantur. Sed hæc fortè plus nimio homini sublimium rerum cupidissimo, cum præterita futura sint omnia quæ de dæmonibus loco hoc afferre voluerimus. Multiplices tamen eorum figuras & apparitiones, variis rerum & animalium imaginibus conspicuas, toto opere, ubi hieroglyphicum tale aliquid deponat minime dissimulavimus.



JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XL.

DE IIS QUÆ PER VESTES ALIQUOT
SIGNIFICANTUR,

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD JANUM VITALEM PA-
NORMITANUM.

Non parva quidem de causa, Jane mi jucundissime, **Leo X. Pont. Max.** quam primum tuam de Trinitate poemata legit, ingenio & eruditione tua delectatus, pietateque in primis commotus, præclaram tibi munera dari jussit, in quibus fuit & **Palatina vestis** ornatu, ut inter amicos abmissum esse te, virtutis & optimarum artium ergo, omnibus innotesceret, tuque ad disceptationum studia in dies magis incitaretur. Quæ mihi tam jucunda acciderant, ac si omnia & in longè majora in me collata essent, qui tot annos amorem erga me tuum habuerim exploratissimum, quæque ego semper ob summum ingenium, suavissimos mores, singularem animi tui integritatem, præteris loco dilexerim. Itaque cum ex remuneratione hujusmodi, quæ tibi obvigisset, magnam ego laetitiam concepissem, incensus ego quoque sum tanti Principis æmulatione, ut ipse quoque gratio et gaudio